

46 HISTORIAE VENETAЕ

1522

*Genua &
Davalo ca-
pra, & di-
septa.*

da civitate negligentius obeuntibus , turrim prope portam tormentorum ictibus fere solo æqua verant) inscio Davalo , & cum Vivaldo de pactionibus agente , per diruti muri ruinas acriter impetu facto , turrim occupant ; ingenti clamore oborto , cum signis exercitu convolante , ac qua primi cœperant itrumpente . Davalus a disceptatione digressus celeriter accurrit , Columnam , qui cum Germanis , ac omni fere equitatu ab ea parte , quam Bisamnem vocant , constiterat , de eventu statim docet , ut cum reliquis copiis urbem ingrediatur , admonet ; ipse altera ex parte ordinato agmine incedit . Cæfareani , nullo obſidente , cum omnia fugæ , timoris , terrorisque plena inveniſſent , civitate potiuntur . Magnus militum , civiumque numerus cum Præfecto prætorii , ac Salernitano Antistite naves ingressi per occiduum litus Massiliam contendunt . Octavianus Fulgosius se ultro in Ferdinandi Davali potestate constituit ; Petrus Navarrus , ac plerique alii ab hostibus captivi fiunt ; tota urbs diripitur ; diu turnitate temporum , civium laboribus , atque industria congestæ divitiæ vix ad militum cupiditatem explendam suffecere . Ita parvo labore ea urbs Cæſari adjecta est , quæ ſemper ad res Italiam summum momentum attulerat . Antoniottus Adurnus Dux declaratur , qui arci , quam *Castelletum* vocant , admotis tormentis , triduo in potestatem recipit . Dum haec agerentur , Veneti ad instaurandum exercitum Franciscum Gallorum Regem eo vehementius hortabantur ; quod cum prospera omnia Cæſareani experientur , Gallis adverſa cuncta evenirent ; niſi nova ſubſidia in Italiam a Rege mitterentur , pertimescendum videbatur , ne Carolus , nullo adverſante , quas ſibi libuiffet leges Italij imponeret ; ac tandem bellum in Venetos fines converteret . Quocirca nullum officii genus a Senatu prætermittebatur , ut recentia Gallorum auxilia eliceret . Franciscus Clementem Sangam cubicularium per dispositos equos Venetias mittit : is literas quarto idus junii Lutetia ad Senatum attulit , quibus petebat , ut iis , quæ Clemens regio nomine diceret , veluti ab illius ore depromerentur , fidem præſtaret : ſimul , ut quæ illius erga res Italiam , atque Rempublicam mens eſſet , quamprimum intelligeret ; alio itinere Comitem Beljojofum miſſe . Is cum ad urbem accessiſſet , Patrum Collegium ingreſſus Regis mandata in hanc ſententiam expoſuiffe fertur .

Quo